

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .

Das PDF wurde erstellt am: 30.04.2025, 02:39 Uhr.


Brevis Ac Succincta exegesis Psalmi Primi Et Secundi, una cum annexis usibus elenticis : Annuente divina Gratia

Gryphiswaldiæ: Typis Danielis Benjaminis Starckii, 1702

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863465072>

Druck Freier  Zugang





Pr. Ind. 232 p

Pr. 120 p

Pr. 96 p
80 p

- A B 12 p


Pr. 56 p

16 p

Tyrolson
coll. exeg 167

F.c. — 1435¹ — 8.

167



BREVIS AC SUCCINCTA

exegetis

PSALMI PRIMI
ET SECUNDI,

una cum annexis usibus
elencticis :

Annuente divina Gratia,

Consensu Amplissimæ Fac. Theologicæ :

Sub PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI,

ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DN. D. JO. FRIDERICI MAYERI,

Sacri Palatii Cæsarei Comitum, Consilii S. Reg. Maj. Svec.
per omnes Germaniæ Provincias, Serenissimi Cimbrorum Ducis, & Reve-
rendissimæ Abbatissæ Quedlinburgensis in Sacris Primarii : Universitatis
Gryphicæ Pro-Cancellarii Perpetui, & Professoris Theologiæ Primarii, Consi-
storii Regii Præsidis, Pomeraniæ Sveciæ Rugiæq; Superintendentis Generalis,
Facultatis Theologicæ h. t. Decani, atqve Academiæ

RECTORIS.

Patroni sui omni observantia colendi;

PRO LICENTIA

ad eundem Doctorales in Theologia honores,

placido Eruditorum.

Examini exhibita

à

M. BRANDANO HENRICO GEBHARDI,

S. Theol. & Lingg. Orient. Prof. Ord. h. t. Phil. Fac. DECANO.

ad d. 31. Januarii 1702.

GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, Reg. Acad. Typogr.

BREVIS AG SUCCINCTA
PSALMI PRIMI
ET SECUNDI

con cura auctoris
Abbas
Contra Augustinus I. ac Theologiae
Abbas

Dr. D. Jo. FREDERICI MAZERI
Patrii in omni ordine vicedominus
PRO DACTATA
Abbas Theologiae in Theologiae honore
Abbas

M. BRANDANO HENRICO GERHARDI
Abbas

THE DANIELIS BENJAMINIS STABELI



ר"ב

DUOS priores Psalmos hodierni Codices diversos exhibent. Olim non fuisse distincti sed unus Psalmus. Testantur super hoc non tantum Hebraei antiquiores, sed & ex Patribus Justinus Martyr & Tertullianus. Necessse est ergo illos usurpasse exemplaria in quibus tanquam unus Psalmus exhibentur: Argumentum certe idem utriusque Psalmo est, hoc quod per totam Scripturam precipue inculcatur, *QUI CREDIT IN CHRISTUM SALVABITUR; QUI MINUS, DAMNABITUR.* Nos brevem utriusque exegetin exhibemus, unde apparere possit, non sine ratione olim fuisse conjunctos.

PSALM. I.

v. 1.

OBEATITUDINES VIRI! Ita vertimus, suppleta exclamativa quæ propositionem integram faciat. Æquipollet ergo huic: Beatitudines viri sunt maximæ. Hebræa vox non pluralis sed dualis numeri est, innuitque tam inchoatam quam consummatam beatitudinem, quæ v. 3. 4. 5. plenius explicatur. Per Virum non simpliciter quemcumque hominem, sed quemcumque in CHRISTO nascule pugnantem intelligimus, habito respectu ad sensum vocis excellentiorem. *QUI NON AMBULAT IN CONSILIO*

42

IMPIO.

*IMPIORUM, NEC INSISTIT VIÆ PECCATORUM, NEC
SEDET IN CONSESSU ILLUSORUM.* Tria hæc ad-
jectiva non distribuunt mundum in certas peccatorum
clases, gradu distinctorum, sed conjunctim mundo
singulisq; ejus individuis competunt, quanquam non
in æquali gradu. Describunt enim subjecta à peccato
originali, omnibus communi, absentiam justitiæ Ori-
ginalis & odium in DEUM, contemptumqve mediorem
salutis inferente. Consilium, via, cathedra mundi non
præcise notant seductionem ad enormia scelera & epi-
cureas voluptates, sed designant doctrinam etiam cum
honestissima vita conjunctam, oppositam doctrinæ
Christi. Eorum enim est qui ductum carnis sequuntur,
quæ non tantum ad manifesta scelera impellit, sed &
justitiam propriam homini commendat. Proinde, non
ire in consilio impiorum &c. est non sequi scandalosam
mundi doctrinam & vitam, sed eam abnegare.

Ufus 1.

Observamus contra Judæos & Chiliastras, non
esse in hac terra expectandam beatitudinem, quæ
sit expers turbarum, famis, belli, morborum. Pro-
batur hoc ex duali forma vocis *ΜΥΣΤΗΡΙΑ* quæ propterea
duplicem beatitudinem notat, inchoatam militan-
tium, quæ hujus seculi est, & consummatam triumphan-
tium, quæ æternitatis. Tertia non datur.

Uf. 2.

Contra Judæos, Socinianos aliosqve: Ratio-
nem ejusqve principia non esse opponenda sed suppo-
nenda doctrinæ revelatæ. Per naturam enim ratio
in malo jacet, & non potest non de rebus divinis prave
judicare. *1. Cor. II. 14. Eph. V. 8.* Submittenda ergo est
Spiri-

Spiritui S. per verbum revelatum cam illuminanti ac
sanctificanti 2. Cor. X. 4.

v. 2.

SED CUJUS OBLECTATIO EST IN LEGE DEI. Lex
DEI notat verbum revelatum de fide in Christum &
legitimo legis usu. Opponitur enim doctrina mundi,
qvæ propriam justitiam inculcat. Neqve quidquam
aliud mundus habet quam Legem maledicentem &
damnantem, qvæ cum nullam oblectationem affe-
rat, intelligi hic minime potest. Oblectatio fidem in
CHRISTUM supponit, conscientia tranquillatorem,
infertq; voluptatem ex dulcedine verbi perceptam, ad
sedulam meditationem invitantem. *ET QUI IN LEGE
DEI MEDITATUR DIE ET NOCTE:* quo ipso innuitur
assidua nec per actum contrarium abrupta verbi medi-
tatio, frequens Sacramentorum usus, studio in bono
proficiendi.

Uf. 3.

Contra Judæos, Naturalistas &c. Una tantum
via est ad salutem, doctrina de CHRISTO, qvæ
omnibus temporibus valuit. *Actor. IV. 12. Cap. XV. 11.
Job. XVII. 2.* Opponitur enim doctrina CHRISTI doctri-
næ mundi ut veritas mendacio. Ut ergo una tantum
est veritas, ita una tantum est religio.

Uf. 4.

Contra Fanaticos. Verbum DEI non est litera
mortua sed habet divinam virtutem edendi effectus
spirituales. Prob. qvia alias frustranea foret di-urna
nocturna qve ejus meditatio. *Rom. I. 16. 1. Theff. II. 13.
Hebr. IV. 12. 1. Petr. I. 23.*

v. 3.

NAM ERIT SICUT ARBOR PLANTATA AD RIVOS

A 3

QVA

AQUARUM. Comparatur justus cum arbore seu palma plantata seu transplantata ex loco sicco in irriguum. Quo ipso innuitur translatio hominis è statu iræ in statum gratiæ per regenerationem justificationem sanctificationem. Palma in loco irriguo posita felicissime augetur. Sic pius verbi DEI mediator gratia DEI largissime affluente perpetuo augetur in fide. *QUÆ FRUCTUM SUUM FERT IN TEMPORE SUO.* Bona arbor fert fructum suum i. e. bonitati suæ convenientem. Ita justus fert bona opera naturæ regeniti convenientia, quando cunqve DEI gloria & salus proximi ea flagitat. *ET CUJUS FOLIUM NON DECIDIT.* Palma tam hyeme quam æstate suum retinet virorem: Ita justus inter æstus & frigora tentationum per gratiam DEI conservatur à defectione. *ET QUID QUID FACIET PROSPERABITUR,* ex DEI directione salutarem finem assequetur etsi pio plane aliter videatur. Si ex v. 4 per oppositionem huc transferimus animæ pii per beatam mortem translationem in sinum Abrahæ, ex v. 5. resurrectionem ad vitam & æternam glorificationem, tam inchoata quæ hujus vitæ est, quam consummata pii salus quæ alterius est, hic describetur. Atque hæc plenior est explicatio vocis *NON.*

us. 5.

Contra Calvinianos: Promissio de indefectibilitate justii non est absoluta sed hypothetica, quatenus homo se ipsum non avellit à gratia DEI, quatenus non abrumpit meditationem verbi per actum contrarium. Ut enim per meditationem verbi fides conservatur, ita negata illa fides perit.

us. 6.

Contra Pontif. Ex eo quod opera pii dicuntur prosperari, non licet inferre: Ergo justificant, salvant.

vant. Sunt enim opera justificati: posteriora sunt fide
justificante, Ergo non justificant. *Rom. III. 28. Cap. XI. 6.*

v. 4.

NON SIC IMPII: Non patiuntur impii sese trans-
plantari: ergo manent in loco sicco, expertes gratiæ
DEI, deseruntur, traduntur suis concupiscentiis. **SED
SICUT PALEA:** Paleæ nulla vita, nullus usus est. Ita &
impii nihil habent in se vitæ nihil utilitatis vel ad suam
vel ad aliorū salutem promovendam. **QVAM DISPEL-
LIT VENTUS.** Ut palea post triturationem non colligi-
tur in horrea qvæ admodum triticum, sed ventis relin-
quitur ludibrium, ita impiorum animæ post mortem
non colliguntur ad Ecclesiam triumphantem, sed Dia-
bolis traduntur, in ignem infernalem raptandæ.

Uf. 7.

Contra Pontif. Versio vulgata non est authen-
tica. Probat vel hic versus in quo sequitur corru-
ptam versionem τῶν ὁ **NON SIC** bis repetendo. Id
quod Coloniensis Paraphrastes in sensu comminandi
ridicule accipit: Nit also ihr Gottlosen/ nit also/ wa ir wil-
lent die ewige Seeligkeit erlangen. Plane contra scopum
textus. Alios errores invenies in v. 1. & 6. *Ps. II. 12.*

Uf. 8.

Contra Eosdem & Synerg. Homo sibi relictus
nihil habet virium ad sui conversionem. Patet
inde, qvæ comparatur cum arbore omnis sani vigoris
experte: cum palea, in qvæ nulla vita, nulla utilitas.
Gen. VI. 6. Ephes. II. 1.

v. 5.

**QVA PROPTER NON RESURGENT IMPII (STA-
TURI) IN JUDICIO.** Ut voci textuali resurrectionis
significatio servetur, commode ex ea eruitur *Statu-
ri*
i. e.

i. e. absolvendi. Sic *Luc. XXI. 36.* *ἡ δὲ ἡμέρα ἡμῶν οὐδὲν ἔστιν ὡς ἡμέρα ἀνθρώπων.* Atque hujus Salvatoris iudicium intelligimus, quod ipse in forma visibili exercebit. Propterea autem resuscitati impii non stabunt, quod non paruerunt gratiæ vocatrici, sed maluerunt manere arbores steriles aut paleæ inutiles. *NEQUE PECCATORES (ADSCRIBENDI) COETUI JUSTORUM.* Nec minus congrue hic addimus *adscribendi* ex verbo subintellecto eruendum. Atque hæc est sententiæ iudicialis executio, abjectio à facie DEI & Ecclesiæ in infernum.

Uf. 9.

Contra Jud. & Soc. Resurrectio est universalis tam piorum, quam impiorum, neque ad solos pios restricta. Non enim simpliciter hic negatur impiorum resurrectio, sed resurrectio gloriosa. A dicto vero secundum quid ad dictum simpliciter *N. V. C.* conf. *Dan. XII. 2.* *2. Cor. V. 10.*

Uf. 10.

Contra Pontif. Impii subeunt iudicium discussionis, pii non item. Sunt enim cœtus justorum. Si ergo jam sunt iustificati non venient in iudicium ratione discussionis peccatorum, *Job. III. 18. Cap. V. 24.*

v. 6.

NAM NOVIT DEUS VIAM JUSTORUM. Via iustorum est viva fides in CHRISTUM. Non enim absolute ponitur *via*, sed coniungitur cum *justorum*. Ergo erit fides in verbum CHRISTI. Eam autem novit DEUS, i. e. curat, auget, confirmat, & à defectione præservat. Salus pii consummata ex commate sequente per metalepsin huc transfumenda: Impii via peribit. Ergo pii via non peribit, id est, pius vitam æternam

nam

nam habebit. *AT VIA PECCATORUM PERIBIT.* Via peccatorum est infidelitas, contemptus salutaris doctrinae, vita hypocritica & scelera. Eam DEUS non novit. Nam & hoc per metalepsin ex prioris commate huc transferendum i. e. aeterna damnatione punietur. Idem ergo hic Psalmus urget quod Apostoli inculcant: **QVI CREDIT SALVATUR, QVI MINUS, DAMNATUR.**

Ufus 11.

Contra Calv. DEUS doctrinam de CHRISTO nulli gentium invidet. Quia enim mundum damnat ob infidelitatem, necesse est media credendi ipsi non denegari.

Ufus 12.

Contra Jud. Non sola Lex Moysis Sinaitica in Israële fuit prædicata, sed & Lex CHRISTI Sionitica. Ratio, quia sola fides salvat. Ergo & verbum de fide Israëli obtigisse necesse est, alias nullus ex Israële fuisset salvatus.

PSALM. II.

v. 1. 2.

QVARE COEUNT GENTES, ET POPULI LOQUUNTUR INANE? Notamus hic CHRISTUM loqui, qui & semel Gentes *v. 3.* bis Patrem *np. v. 6.* & dein *v. 7. 8. 9.* loquentes introducit. Gentes & populi sunt omnes Ecclesiae oppositae nationes per totum terrarum orbem, veritatis caelestis persecutrices indolentis pervicacis naturae etiam in ipsa appellatione sua praeferentes. Harum conscientiae sollicitantur per interrogativum *quare?* ut considerent quem, quid, quo

B sine

sine impugnent. Vicio autem ipsis vertitur quod
 coeant, n.p. quod ex versu sequente huc transferen-
 dum, contra DEUM & CHRISTUM ejus. Non autem
 hæc est tumultuosa discursatio, qualem textualis vox
 non fert, sed tranquilla & concordis coitio consul-
 tandi causa instituta, prouti hoc etiam ex conjuncto
 וְיִמְדַּעְתֶּם *meditate loquuntur* perspicere est. Unde simul elu-
 cet non hic de fece plebis sed de sapientioribus Gen-
 tium agi, quorum consilia tamen inanem eventum
 habitura dicuntur in voce פִּי indicatum v. 2. **CONSI-
 STUNT REGES TERRÆ ET PRINCIPES CONSULTANT
 PARITER CONTRA JEHOVAM ET CHRISTUM EJUS.**
 Præsides consiliorum sunt Reges & Principes in toto
 terrarum orbe, quorum etiam in hoc versu tundun-
 tur conscientia ope repetiti ex priore versu הַלֵּל *quare*
 & פִּי *inane*. Hi consistunt, ita ut & obstant. :
 Consultant enim contra Jehovam. : Consultant ut
 sese fundent atque firment non contra politicos ad-
 versarios armis humanis superabiles, sed contra Jho-
 vam & CHRISTUM ejus. Unde apparet causam, de
 qua consultant, religiosam esse. Falsam scil. suam
 religionem ac doctrinam *καλοπαρρηδοίον* nituntur tueri,
 fundare ac firmare, prædicatam vero Evangelii veri-
 tatem evertere.

Ufus 1.

Verus Messias passurus erat contradictionem ab
 omnibus ubivis terrarum gentibus. JESUS NAZA-
 RENSIS jam ultra 1600. annos passus est talem con-
 tradictionem. E. JESUS NAZARENUS est verus
 Messias. Major est in textu. Minorem firmat expe-
 rientia. *conf. Luc. II. 34.*

0.3.4. Con-

Conclusum consultantium est : *ABRUMPAMUS VINCULA EORUM ET ABJCIAMUS A NOBIS FUNES EORUM.* Vincula & funes sunt ligamenta, quibus jugum collis alligatur, & ponitur hic adjunctum pro subjecto, funes pro jugo, quod cum DEI & Messiae esse dicitur, apparet doctrinam CHRISTI notare, quam ipse CHRISTUS appellat *ζυγὸν χριστόν*, *Matth. XI. 30.* Idem probat collatio v. 9. Hoc jugum dum rumpere, hanc doctrinam dum abjicere dicuntur Gentes, manifestum est eam ipsis fuisse prædicatam, manifestum Gentes hic consultantes non tantum connata, sed & contracta malitia sese ipsi opponere. Consulto terrestri consultum cœleste opponitur v. 4. *QUI SEDET IN COELIS JEHOVA RIDET ET SUBSANNABIT EOS.* Non obscura hic est deliberantium oppositio, in verbo *sedet* indicata, quæ ad *consistunt* v. 2. se refert. Respicitur autem ad Judæorum Synedrium in quo tres præcipua dignitate Proceres, Princeps, Princeps Judicum, Princeps Sapientum, non obscuro mysterii de DEO Triuno indicio, qui, cum etiam in Gentium judiciis supremus judex esset, à sola tamen Ecclesia agnoscebatur. Hic ridere dicitur *ἀνθρωποπαθὸς* respectu habito ad confessum irrisorum, de quo *Pf. I. 1.*

Ufus 2.

Veri Messiae doctrina inter arma ac odia contradicentium DEI ope salva ac incolumis perflare debet usque ad finem mundi. JESU NAZARENI doctrina hætenus immota perstitit adversus inferorum portas & porro perstabit. E. JESUS NAZARENUS est

B 2

verus

verus Messias. Major ex hoc versu constat. Minorem probat experientia.

v. 5. 6.

TUNC LOQUETUR AD EOS IN IRA SUA, ET IN FURORE SUO TURBABIT EOS. Jugum Iene Evangelii DEUS cervicibus Gentium imponere nitebatur ope prædicationis. Ast cum illud excutiunt, tunc non amplius Iene Evangelii, sed grave Legis onus ipsis imponit. Hoc est loqui in ira & furore, loqui non ad sanandam, sed terrendam ac turbandam mentem. Hic Legis effectus, qui si non celerius, certe in morte ac extremo iudicio in impiis sese exserit. v. 6. AST EGO UNXI REGEM MEUM SUPER SION MONTEM MEUM SANCTUM. Decretum impiorum erat: Messias non esto Rex: Decretum DEI est: Messias esto Rex. Id decretum hic sistitur. Ego constitui: frustra ergo à vobis oppugnatur *θεομάχους*. Unxi, i. e. divinam maiestatem carni ejus impertii: Quid ergo vos infirmi oppugnatis omnipotentem? Regem meum i. e. qui quoad divinam naturam ex substantia mea natus est, qui non habet regnum terrestre, sed naturæ suæ homogeneum cœleste: quid ergo illud armis terrestribus itis eversum? Super Sion montem sanctum meum, i. e. super Ecclesiam. Quid ergo eam lacescitis, quæ regnum non quærit mundanum?

Ufus 3.

Verus Messias non debuit esse imperator politicus, sed Rex spiritualis defendens ab Ecclesia hostes spirituales Satanam, peccatum, mundum. JESU NAZARENI regnum non est mundanum. Ergo
JESUS

JESUS NAZARENUS est verus Messias. Major
in textu est. Minor *Joh. XVIII. 36. 37.*

v. 7. 8.

ENARRABO DECRETUM: JEHOVA DIXIT AD ME,
FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE. Pleni-
us paulo enarrat, quod priore versu de se dixerat Pater,
imprimis quid significet *Rex meus*. In hoc agnoscit
1. divinam originem, quæ hoc versu 2. dominium in
omnes gentes, quod v. 8. 9. describitur. v. 8. PETE
A ME, ET DABO TIBI GENTES HÆREDITATEM TUAM
ET POSSESSIONEM TUAM FINES TERRÆ. Impetrat
imperium in mundum per preces. Gentes non poli-
tice spectantur, sed spiritualiter, quatenus Satanam
agnoscunt Principem, Carnem vero actionum nor-
mam. Hic mundi Princeps in Messiam, mundi
peccata sustinentem irruit, quem vicit per preces non
simplices, sed satisfactorias, in cruce oblatas. Satis-
factione præstita victorem sese exhibuit in resurre-
ctione & Dominum Satanæ, Peccati, mundi.

U/us 4.

Verus Messias debuit esse Sacerdos, qui per pre-
ces satisfactorias subjuget Satanam & mundum. JESUS NAZARENUS per preces satisfactorias
vicit. Ergo JESUS NAZARENUS est verus
Messias. Major ex textu clara est. Minor patet
ex *Hebr. II. 14. 15. Cap. V. 7. 8. 9. Cap. IX. 11. 12. 13. 14*

v. 9. 10.

CONTERES EAS SCEPTRO FERREO, UT VAS
FIGULI DISPERGES EAS. Datur Messix potestas
damnandi Gentes, quæ tales, i. e. quæ non renunciant

B3

ant

ant regno Satanæ & Peccati. Hæ hic sistuntur sub imagine vasorum figulinorum, non in gloriam sed contumeliam DEI καὶ ἠκολούθησαν, quæ fracta disperget Messias, i. e. æternæ damnationi adjudicabit, perdet sine spe salutis, non secus ac ollæ fractæ ac dispersæ nulla spes manet restitutionis. Hanc tamen damnationem ipsis indicit sub conditione finalis impœnitentiæ ad quam ne prolabantur serio eas monet. :
v. 10. ET NUNC O REGES RESIPISCITE, ERUDIMINI JUDICES TERRÆ. Ratio vocum textualium collationem cum *v. 2. & 3.* sponte suggerit. Monentur abstinere à falsa & mendaci sapientia παρρησιασθε & se conferre ad sapientiam coelestem, quam Messias è sinu Patris protulit. Hoc est *יִרְאוּ* respicite. Monentur deponere jugum Legis, cujus maledictioni sese per peccata ipsas subjecerant, & lenè jugum Evangelii suscipere, i. e. credere in Messiam, fidemque suam per caritatem probare. Hoc est *לִיגְמוּ* ligamini, nempe jugo Messie suscepto.

Usus 5.

Verus Messias debuit esse Propheta omnes gentes ad suscipiendum jugum Evangelii invitans. JESUS NAZARENUS per Apostolos omnes gentes invitavit *εἰς ὑπακοὴν πίστεως*. Ergo JESUS NAZARENUS est verus Messias. Major hujus loci est conf. *Deut. XII. 15. - 19. Matth. XVII. 5.* Minor patet ex *Matth. XXVIII. 19. Rom. 1. 5. Cap. XVI. 26. 2. Cor. X. 5. Col. 1. 28. Actor. XVII. 30. 31.*

v. 11. 12.

COLITE JEHOVAM IN TIMORE ET EXULTATE CUM TREMORE. Injungitur Gentibus spontaneus DEI

DEI cultus, qui supponit fidem conscientiam tranquillam reddentem. Adjunctum cultus est φόβος καὶ τρόμος, quorum ille hypocrisim, hic securitatem & falsam de fide præsumtionem excludit. Objectum cultus est JEHOVA qui non nisi in filio recte colitur, unde statim subjungitur: v. 12. OSCULAMINI FILIUM, NE IRASCATUR, ET VOS PEREATIS IN VIA: O BEATITUDES EORUM, QUI IN IPSO CONFIDUNT! Hebræum יְהוָה nec puritatem, nec doctrinam, nec Israel, sed Filium DEI, v. 7. vox יְהוָה nec instruimini, nec apprehendite, nec gratias agite, sed osculamini notat. Osculum subjectionis intelligitur, sincera fides in Messiam cultusque ei debitus. Incredulitatis poena est æternum exitium à Messia severo judice illatum. Via non hic notat viam justitiæ & veritatis, sed viam malam, viam impiorum, de qua Psalm. I. 1. 6. viam DEI viæ, doctrinam DEI doctrinæ oppositam. Sensus ergo est: ne pereatis in incredulitate vestra, Job. VIII. 14. Ratio maturandæ poenitentia est, ἀφιδιος ὀλεθρος impiis imminens 1. Thess. V. 3. Veniet Messias ὡς κλέπτῃς ἐν νυκτὶ, 1. Thess. V. 3. Ergo perpetuo, ut instans & ex proximo est expectandus. Cæterum ut incredulitatis poena æterna est damnatio, ita fidei præmium est salus æterna. Objectum autem fidei est Messias Filius DEI. Clauditur ergo hic Psalmus eodem epiphonemate, quo primus QVI NON CREDIT, DAMNABITUR, QVI CREDIT, SALVABITUR.

Usus 6.

Verum Messiam non tantum hominem esse oportuit,


tuit, sed & verum DEUM, DEUM de substantia
Patris genitum. JESUS NAZARENUS non est
ψιλάνθρωπος, sed θεάνθρωπος. Major clara est ex
textu, conf. v. 7. Minorem Apostoli confirmant
passim. Ergo JESUS NAZARENUS EST VERUS
MESSIAS.


Usus 7.


Ex hoc Psalmo Mysterium Trinitatis manifestis-
sime ostendi potest. Sicit enim se hic Pater gignens
ab æterno, Filius genitus ab æterno, & Spiritus S.
qui per Davidem hunc Psalmum locutus, à Patre &
Filio procedens. Conf. *Esa. XI. 4. 2. Sam. XXIII. 2. 3.*
1. Petri. I. 11. Almæ Trinitati sit gloria in
sempiterna secula.

Amen.









mortuumque resur
in mysteriis initiisq[ue]
Mose descriptam f
imitatum eum esse
peragravit terram
in caelum pervenit
Gigantem viam de
latos esse putem?
Esculapium mortu
e hunc in rebus h
duxerim? Cor
quoque Bochartu
modo Gentiles fa
de asina, qua
Status, ex

(16)

caelum ascendisse scribunt, ac vinu
nt: annon quam supra recitavimus a
bi prae ditionem, (Gen. XLIX. 10.)
autem Herculem fortem, qui omnem
ex Alcmena genitum, ac mortuum.
n ego Scripturam, fortem tanquam
RISTO promulgatam, similiter emu
ra adulterando, quis falsa renunciet,
n e agritudines alias curantem: non
STO edita vaticinia iidem immanum
g. pro Christianis fol. 76. Confer
p. 482. prolixè ostendentem, quo
no Bachi comite, de ejus doctrina,
e ebrietate, de lacte, quo dele
bi vaticinio suggerente Dia
extruxerint.

